

ta 68. diebus, tandem capta est à Venetis & Gallis, qui & Balduinū Flādrensem imperatorē creauerunt, & Veneti urbi episcopū dederūt. Deinde omnia loca præter Adrianopolim cesserunt Gallicis & Veneticis armis, omniāque subiiciuntur Balduino. Venetis autem datae sunt insulæ Creta & Eubœa, & aliæ multæ paruae insulæ in Aegeo mari. Postea anno quinquagesimo octauo, Byzantiū rursus amittitur & à Paleologo possidetur.

Creta

Creta quæ & Candia, insula maris mediterranei, in longitudine dicitur habere 270. millia passuum, & in latitudine quinquaginta millia. Circuitus eius 580. millia passuum cõpletur. Nullum in Creta animal noxiū est, capris copiosa, ceruis eget, optimi uini feracissima. Cureta olim uocata fuit à Curetibus in habitatoribus, & inde Creta per syncopen. Alij dicunt Cretam dictam, à Crete quodam Iouis filio, Curetum rege. Est autem hæc insula foecunda frugum ubertate & pascuis copiosa. In medio est Ida mons, omnium qui in ea sunt celeberrimus atque cellissimo uertice assurgens, ubi sylua exoritur fragrantissimis cupressis referata. Insignes in ea urbes, Cortina, Cydonea, Gnosum, & Minois regia, Strabonis chronographi patria.

De Turcarum origine.

Turcarum primus dux fuit Ottomānus, à quo omnes posterī Turcarum imperatores Ottomanni sunt appellati. Hic obscuro loco & parentibus agrarijs natus, uirtute ac calliditate singulari, conflata per seditionē manu, circumferre coepit arma, adiunxitq; sibi raptores, quibus stipatus & indies perditorum hominum adhesionē fortior factus, subegit circa annū Christi 1335. Cappadociam, deinde Pontum, Bithyniam & Asiam minorem. Et primum quidem coeperunt uillas exurre, terras diripere & homines abducere, ac deinde potentiores facti, etiam regiones sibi subditas fecerunt. Mortuo

autem Ottomāno, successit filius eius Orchanes, qui partem regnum nō minuit sed auxit. Hic enim primus in Europam traiecit. Tandem post uigesimū secundū imperij annum, Ammuratem filium heredē reliquit. Qui per ducem Trapezuntinū admissus, traiecit Hellespōtum atq; oppugnauit Bulgariam, Seruiam, & Adrianopolim. Post hūc regnauit filius eius Baiazites, qui expugnauit Macedoniā, Thessaliam, Bœotiam, Phocidē & Atticā. Cumq; obsideret Constantinopolim, Tamerlanes Tartarorum imperator irruēs in ditiorum eius, coepit omnia uastare: cui occurrens Baiazites captus est ab eo atq; ligatus aureis catenis, & quasi canis sub mensa Tamerlanis coactus comedere. Et cum Tamerlanes ascenderet equū, usus est eo tanquam scabello. In huius itaq; locum successit Calepinus, cum quo Sigismundus imperator multa bella gessit, sed nō satis feliciter. Post hunc imperio functus est Moses anno scilicet 1400. Deinde anno 1408. in locū eius successit Mahumetes, & hic adiecit imperio Turcarum Seruiam, Vualachiam & partem Sclauonię statuitq; regiam sedē in Adrianopoli. Post hunc regnauit filius eius Amurates, anno scilicet 1422. sequensq; more predecessorum expugnauit Thessalonicam & bonam partem Gręcię, obsedit quoque anno Christi 1439. Belgradum. Deinde anno Christi 1444. deuecit Christianorū exercitū apud lacum Vernensium, non procul à Bosphoro. Fuerūt autē in exercitu illo Christianorū, Vngari, Valachi, Poloni, rex Polonię, cardinalis Iulianus & multi pontifices Vngarię, & circiter triginta millia equitū. Occubuit tunc rex Polonię & Iulianus cardinalis. Ex qua uictoria tyrannus elatus, maxima uis aggressus oppugnauit Pelopōnesum, & murū Isthmi Corinthiaci deiecit, qui unicum Peloponnesiorum putabatur esse præsidium. Huic successit filius Mahumetes, nonus Turcarum imperator, qui Christianos multis prælijs & cladi